







1785

1. \* Heckermannis: Thesimadversio V ex jure anti-  
quo. Programma, quo ordinarius senior ceteri.  
que amentores fac. jur. memoriam Heckermannis  
nitentiam . . . indicunt.
2. \* Bestucheff: Corollarium juris Criminalis  
XVII. Programma, quo decem seniori ceteri.  
vique amentores quatuor facultatum memo-  
riam Bestucheffianam au indicunt.
3. \* Pronius: Adversatio VII ex adversariis juris  
judiciali. Programma, quo ordinarius senior ceteri.  
que amentores fac. jur. memoriam Pronianam  
indicunt.
4. \* Eisenhuckius, Christianus Tacobus: Novi et  
effectu Expectabilis a pluribus simul hibitali.  
Programma, quo solennis doctoralia Christiani  
Tacobi Eisenhuckii indicunt.





1785

- \*  
5. Heltorf, Ferdinandus Henricus, de: *Universarium  
juris judiciarii adnotatio VIII*. Programma, quo  
solemnia doctoralia Ferdinandi Henrici de Helt. 10  
dorf indicit. 11
- \*  
6. Schützgen - Gorsdorpus: *Compendium juris Cri-  
minalis XVIII*. Programma, quo ordinarios scabros  
ceteroque assessores fac. jur. memoriam Schützgen 12  
Gorsdorpianam indicunt. 13
7. Bienerus, Christianus Gottlob: *De jure eundi* 14  
*in partes officique Imperatoris ordini-  
bus imperii in partes eundibus*
8. Bienerus, Christianus Gottlob: *De feudis utriusque* 15  
*Lusatiae eorum inprimis acquirendorum et pos-  
sidendorum jure*
9. Ernstbeck, Christianus Tacatus: *De modo superiori* 16  
*latis territorialis jura contra eos, qui se illi*



subjectos esse negant, legitime persequendi.

10. Grentzer, Christianus Augustus: De facto domestico.

11. Gutwasser, Julius Gottlob: De poenis earumque modo.

12. Heydenreich, Benjamin Cordus Haericus: De jure  
apanagii Comitum S. R. I. mediatorum in Saxo-  
nia turbata et familiari.

13. Junghaus, Dr. Fridericus: De mortis causa  
donationum indole.

14. Junghaus, Dr. Fridericus: De patria potestate,  
nuptiis, legitimatone, adoptionibus, et quibus  
modis jus patriae potestatis solvitur.

15. Keil, Carl August Gottlieb: De causis alicui  
Platonicos recentiores a religione Christiana  
amici. Programma, quo rationes auspicales  
indicit.

16. Kindius, Dr. Wilmus Theophilus: De retentione  
pignoris in concursu creditorum secundum jus

Saxonicum Electorale exule.

17. Vindius, de Adamo Theophrastus: De fontibus  
juris judicarii civilis, quod per Germania  
obtinet.

18. Vindius, Johannes Daniel: De usibus heredi-  
tariis in Germania per juris manuum acce-  
usitates.











1785 14.

SPECIMEN IVRIS CIVILIS  
AD TITVLOS INSTITVTIONVM  
DE  
PATRIA POTESTATE, NVPTIIS,  
LEGITIMATIONE, ADOPTIONIBVS, ET QVIBVS  
MODIS IVS PATRIAE POTESTATIS  
SOLVITVR

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
PRAESIDE

IO. FRIDERICO IVNGHANS  
PHILOSOPHIAE ET IVRIVM DOCTORE

A. D. APRILIS MDCCCCLXXXV

H. L. Q. C.

DEFENDET

CAROLVS FRIDERICVS ROSENZWEIG  
LIPSIENSIS.

---

LIPSAE  
EX OFFICINA BVESCHELIA.

Mr. D. 36



SPECIMEN IVRIS CIVILIS

AD TITULOS INSTITUTIONVM

DE

PATRINA POTESTATE, NUPTIIS

LEGITIMATIONE, ADOPTIONE, ET QVINTIS

MODIS IN MATRIMONIO

TRACTATA

IMPRÆSENTIUM M. GARDINI AVGVSTIATE

PRÆFATIO

IO. FRIEDRICO IVNGHANS

PHILOSOPHUS ET IVRIS DOCTOR

ARTICVLVS CLAVSVLARVM

DE

DE

GAROLVS PATRIVS ROSENWITZ

PHILOSOPHVS

DE

PHILOSOPHVS ET IVRIS DOCTOR







PRAEFATIO.

**P**rodit iam noui, cuius consilium cepi, institutionum Iustinianearum compendii specimen, quod quidem hac scribendi occasione oblata eum in finem publice proponendum duxi, ut viro- rum eruditorum, si quibus placuerit, iudicia et sententias cognoscere, cognitasque in rem meam vertere possem.

At ne inutilis, quem meditor, cuiquam labor videatur meus, rationes, quae me impulerint, breuiter exponam. HEINECCI enim elementa institutionum, quibus in academiis plerumque vtuntur, emendationibus opus habuisse, satis indicat, quem Hoepfneriana editio meruit, eruditorum applausus. Attamen, liceat hoc ingente fateri, in ipsa hac Hoepfneri editione nonnulla, quae ipsa egeant emendatione, superesse videntur. Primo enim nonnunquam res distincte proponendae, non satis clare traditae; a) porro res plane alienae, tyronibus quidem parum viles, immixtae; b) deinde alia, feitu quidem necessaria, sed in Pandectis explicanda, allata; c) sicuti in Institutionibus diligentius tradenda, nimis breuiter dicta videntur. d) Hinc fortasse non superfluum foret novum Institutionum compendium, in quo 1) literatura, ut vocant, juris non plane omitteretur, 2) ius novum ab antiquo diligenter seiungeretur, 3) ex antiquitatibus tantum breuiter adferretur, quantum ad explicandam aliquam



legem necessarium videretur, 4) iura varia circa aliquam rem obtinentia distincte in certas, si fieri posset, classes memoriae causa redigerentur, 5) res alienae v. g. ex iure Canonico aut Germanico defumtae, omitterentur, 6) de usu juris Romani hodierno parum diceretur, cum facile in ipsis praelectionibus, quid cuique de eo proferendum videatur, addi breviter possit, 7) de rebus in Pandectis demum explicandis, nihil adjiceretur, quum, si totius iuris Romani elementa in *solis* Institutionibus traderentur, compendium earum nihil continere posset, nisi farraginem definitionum divisionumque in iure Romano occurrentium, quibus sine fructu tyronis memoria oneraretur. Ceterum an liber hoc modo conscriptus in praelectionibus non sine utilitate adhiberi posset, et an in specie labor meus non plane inutilis foret, ex hoc specimine iudicent aequi rerumque periti lectores.

- a) Vid. v. g. §. 101. sqq. et §. 111. sqq. (edit. noviss. de 1782.) ubi iura patriae potestatis et requisita iustarum nuptiarum non satis distincte enumerata videntur. b) Huc pertinent, ut exemplo utar, quae passim in titulo de nuptiis ex concilio Tridentino et iure Mosaisco adiecta sunt. c) Conf. §. 128-135. quae omnia, si accurate tradi debeant, longiorem, quam in Institutionibus fieri potest, explicationem desiderant, quae vero si leviter tradantur, nullius fere sunt utilitatis. d) v. g. quae de iure adcrendi §. 494 et §. 580 dicta sunt.



# INSTITVTIONVM LIBER I.

## TIT. IX.

### DE PATRIA POTESTATE.

#### §. I.

**P**ATRIA POTESTAS est vel NATURALIS vel CIVILIS. Illa consistit in obligatione parentum educandi atendique liberos. a) Haec vero complectitur iura parentibus ex legibus positivis concessa. Ea iterum vel Romana vel Germanica est. Nos hic de priori.

- a) Cf. tit. D. de agnosc. et alend. lib. Caeterum naturalis et Romana P. P. potissimum ratione fundamenti et subiecti, cui competit, porro quoad finem, et facultatem renuntiandi differt. Videatur quoque CHRPH. FRID. SCHOTT Diss. de patr. pot. vet. Roman. secundum scita jur. nat. considerata, Tub. 1756. CHRISTIANI Gedanken von dem Unterschied des natürl. und bürgerlichen röm. Rechts in der väterlichen Gewalt, Königsb. 1740. 4.

#### §. II.

Patria potestas ROMANA erat complexus iurium ex iurisdictione domestica et dominio aliquo quiritarario patribus competentium. a) De eius natura norandum: 1) nitebatur iurisdictione domestica a Romulo patribus concessa b), 2) erat species domini quiritararii c), 3) ea gaudebant soli patres, iique cives Romani, et quidem non solum in liberos primi gradus, sed et in nepotes ex filio in potestate constituto natos, non vero in liberos illegitimos d), 4) liberi respectu patris et in causis privatis res erant e), quum in causis publicis pro patribus familias haberentur f), 5) inter patrem et filios unitas personarum obtinebat g), quae in eo potissimum se exerebat, ut α) nec inter filium patremque stipulatio locum haberet, b) nec deinde β) lis patri cum filio





filio esse posset, nisi ex peculio castrensi *i*), nec porro *γ*) filius *sibi*, sed *patri* acquireret, donec varia peculiorum genera inventa essent *k*), nec denique *δ*) filius in testamento, quod vel ipse pater conderet, vel in quo pater heres scriberetur, sicut nec pater in testamento vel ipsius filii vel in quo filius heres scriberetur, testis esse posset *l*).

a) ABRAAMVS A KERKRAAD *de iure patrio, Ultraieci* 1708. 8. GEBAVERI *Diff. II. de patr. pot. in Diff. Vol. I. Erford. 1776. 4.* b) DION. HAL. *L. 2. c. 27. 28.* c) *L. 1. §. 2. ff. de R. P.* d) *§. 2 et 3. I. h. tit. PÜTTMANNI V. III. probab. iur. civ. L. I. c. X.* EV. OTTO *comm. ad Inst. h. t. §. 3.* e) *Id, quod patet ex eo, quod a patribus quocunque modo alienari poterant.* f) *l. 9. ff. de his. qui sui vel al. iur. l. 13. §. ult. l. 14. ff. ad SC. Treb.* g) *l. ult. C. de impub. et al. subst. ibi: quum et natura pater et filius EADEM esse persona paene intelligantur.* h) *§. 6. I. de inutil. stipul.* i) *l. 4. ff. de iudic. l. 7. ff. de O. et A.* k) *§. 1. I. per quas pers. cuique adquir. §. 4. in f. I. de inutil. stipul.* l) *§. 9 et 10. I. de testam. ordin. RIVINI Diff. de figmento unit. pers. inter patr. et lib.*

### §. III.

His praemissis facile ipsa singula patriae potestatis iura intelliguntur, quae tamen iure *antiquo* alia, alia vero iure *novissimo* fuerunt.

### §. IV.

Et legibus quidem *ANTIQUIS* patres gaudebant *I*) iure *vitae et necis* vi *iurisdictionis domesticae* a), *II*) iure liberos ter venundandi, eos exponendi, noxae dandi, donandi, oppignorandi, aliove quocunque modo in alium transferendi b) *III*), iure acquirendi per liberos c).

a) RAEVARD. *ad XII tab. c. 3.* GEBAVERI *Diff. prior c. 2.* GERH. NOODTHI *Iulius Paulus, seu de partus expositione, c. 5. et 6.* in *Opp. T. I.* BYNKERSHOEK. *Tract. de iure occid. et expon. liberos apud Rom.* in *Opusc. min. Halae 1719. T. 2.* NOODTHI *amica responsio ad difficultates Iulio Paulo a Bynkersh. motas.* ib. BYNKERSH. *curae secundae de iure occid. lib.*



lib. ib. AER. WIELINGH Diff. de iure ant. vitae et necis in lib. Amstelod. 1723. GEBAVERI Diff. poster. c. 2. VAN NECK quamdiu ius necandi liberos apud Rom. obtinuerit, L. B. 1770. b) tit. C. de pat. qui fil. distr. l. 2. C. de inf. expos. §. 7. I. de nox. aff. DATT de vendit. lib. Ulmae 1700. et in MEERMANNI Thef. Tom. II. NOODTHI Iulius Paulus. c) §. 1. I. per quas pers. cuique acquir.

§. V.

Sed legibus NOVISSIMIS, quae patribus competunt, iura triplicis quidem generis sunt; alia enim in *personas*, alia porro in *bona*, nonnulla denique in *actiones* liberorum sunt data.

§. VI.

I) IN PERSONAS liberorum datum est patribus 1) ius modicae castigationis a), 2) ius praescribendi iudici sententiam in delictis contra pietatem parentibus debitam commissis b), 3) ius, liberos sanguinolentos propter nimiam paupertatem victus causa vendendi c), 4) ius vindicandi liberos, adiecta causa: *ex iure Romano*, seu: *ex lege Quiritium* d), 5) ius agendi de liberis exhibendis ducendisque e), 6) ius denique liberis tutorem in testamento constituendi f).

a) l. vn. C. de emend. prop. LANGEBEKI Diff. de mod. castig. Altorf. 1692. b) l. 3. C. h. t. c) l. 2. C. de patr. qui liber. distr. CUVJAC. parat. ad C. eod. tit. HUBERI Observ. iur. hum. L. II. c. 5. d) l. 1. §. 2. ff. de R. V. GEBAVER Diff. prior c. 2. §. 2. e) tit. ff. de lib. exhib. f) §. 3. I. de tutel.

§. VII.

II) IN BONA liberorum competit patri 1) ius dominii in res peculi *profecitii*, 2) ius usufructus bonorum *adventitiorum* a), 3) ius bonis liberorum *impuberum* heredem scribendi per substitutionem pupillarem b), 4) ius bonis liberorum *puberum* curatorem dandi, si Praetoris accedat decretum c).

a) §. 1. I. per quas pers. acqu. l. 1. C. de bon. mat. b) tit. I. de substit. pup. c) §. 1. I. de curat. l. 16. ff. de cur. fur.

§. VIII.



§. VIII.

III) In ACTIONES denique liberorum hoc iuris pater habet, ut liberi sine eius *consensu* certas actiones suscipere nequeant, quo pertinent 1) sponsalia et nuptiae a), 2) aditio hereditatis b) et 3) mutuum c). Quum in reliquis negotiis filius et sine patris consensu obligetur d).

a) l. 7. §. 1. ff. de sponsal. l. 2. ff. de R. N. b) l. ult. pr. et §. 1. C. de bonis quae lib. c) l. 7. §. 15. ff. l. 2. C. de SC. Maced. d) l. 39. ff. de O. et A. l. 57. ff. de iudic.

§. IX.

Cum itaque iure Romanorum novissimo patria potestas iuris naturalis principis magis adcommodata sit, in genere quidem haec doctrina hodie recepta est, etsi nonnulla aliter se habent, de qua re in ipsis praelectionibus. Sic v. g. matribus iure hodierno potestatem competere, sunt qui statuunt.

CHR. THOMASII Diss. de iuris paterni Rom. usu in Diss. Vol. I. EJVSDEM Diss. de usu pract. tit. Inst. de patr. pot. ib. Vol. 3. F. A. HOMMELII Diss. de usu pat. pot. Rom. hod. in foris Germ. Lips. 1732.

TIT. X.  
DE NUPTIIS.

§. I.

Patria potestas triplici modo acquiritur. Etenim aut aliquis liberus ipse procreavit aut non. Si prius, liberi aut ex iustis nuptiis nati sunt, et tunc patri ipso iure competit patria potestas: quum pater sit quem iustae nuptiae demonstrant, nisi vel ex absentia vel impotentia, se patrem non esse, doceat a). Aut ex coitu illegitimo orti sunt, et tunc legitimatione opus est. Sin posterius, per adoptionem



nem in pat. pot. rediguntur. Hoc titulo de iustis nuptiis et legi-  
matione. Sequent de adoptione.

a) l. 6. ff. de his qui sui iur. l. 5. ff. de in ius voc.

§. II.

Ipsae vero NUPTIAE a) iure antiquo erant coniunctio maris et  
foeminae, consortium omnis vitae, divini et humani iuris communica-  
tio. Iure novo sunt viri et mulieris coniunctio, individuum vitae con-  
suetudinem continens b).

a) GRYPENII vxor Rom. Hannover. 1727. 8. BRISSONIVS et HOTOMAN-  
NVS de vet. rit. nupt. in GRAEVII Thef. ant. T. 8. ALB. GENTILIS de  
nupt. Hannov. 1601. 8. D'AVEZAN de matrim. et sponsal. in MEERM.  
Thes. T. 4. CANNEGIETERI observ. iur. Rom. Lib. 1. c. 1-8. AYRERI  
Diff. de iure connubii apud Rom. Goett. 1736. LOBETHANS Einleitung  
in die theoretische Eherechtsgelehrtheit, Halle 1775. 8. Caeterum  
differunt nuptiae a concubinato, de quo vid. RAMOS in MEERM. Thes.  
T. 5. HEINECC. ad L. Pap. Popp. L. 2. c. 4. ZACH. WINKLERI Diff.  
de genuino conceptu concub. iur. Rom. Lipsf. 1744. CHR. THOMASII  
Diff. de concub. in Diff. Vol. 3. b) §. 1. I. de pat. pot. l. 1. ff. de R. N.  
de quibus definitionibus vid. GEBAVERI Diff. de matrimonio cum auun-  
culi vidua, c. 1. §. II. in Exerc. Vol. 1. DVAREN. in tit. sol. matrimon.  
quaeft. 1. de nupt.

§. III.

Vt autem nuptiae IUSTAE sint, requiritur I) Iure NATURALI  
et ROMANO simul 1) potentia generandi, 2) consensus eorum, qui  
coeunt, 3) consensus eorum, in quorum potestate coeuntes sunt con-  
sueti; II) Iure ROMANO MERO 1) ut coeuntes sint cives, 2) ut nup-  
tiae eorum haud sint speciatim prohibitae.

§. IV.

I) Iure NATURALI igitur et ROMANO simul, adesse debet  
A) POTENTIA GENERANDI, de qua notandum et tempus a quo in-  
cipiat,

B

incipiat,





cipiat, et tempus *ad quod* durare praesumatur. Prius iure antiquo ex *inspectione corporis* dijudicabatur, sed a Iustiniano annis pubertatis definitum est a). Posterius iure aequo antiquo per legem Iuliam et Pap. Popp. determinatum, ab eodem Iustiniano sublatum est b). Ex his autem fluebat, 1) puellam ante XII. aetatis annum non esse uxorem legitimam c), 2) nec castratum verum matrimonium inire posse d).

a) *pr. l. quibus modis tut. in. l. ult. C. quando tut. vel curat.* BYNNERSH. L. 3. *obf. 24.* OISEL ad Cuii *instit. L. 1. tit. 4. pr.* SCHVLTING. ad *VL. fragm. Tit. XI. §. ult.* MASCOV de *scclis c. 9. §. 2. p. 151 sqq.* b) *l. 27. C. h. t. ad quam legem* vid. HEINECC. ad *L. Pap. Popp. L. II. c. 3. §. 8. c) l. 4. ff. de R. N.* d) DELPHIN. de *matrimonio Eunuchi, Hala 1685. 4. HEINECC. l. c.*

## §. V.

Sequitur B) *CONSENSUS COEUNTIIUM*, iure tum naturali cum Romano necessarius, quia nuptiae sunt *contractus*. Hinc et apud Romanos *solus consensus faciebat nuptias* a). Ex quo intelligitur 1) domum deductione pactorumque dotalium subscriptione non ad *substantiam*, sed ad *signum* et probationem matrimonii iure Romano opus fuisse b), 2) furorem *antecedentem* impedire nuptias c), 3) metum reddere invalidum matrimonium, modo iniustus, gravis nec reverentialis fuerit d).

a) *l. 2. ff. de R. N. l. 30. ff. de R. I. l. ult. C. de repud. dissent.* HUBER ad *I. h. t. n. 2.* b) *l. pen. ff. de donat. inter V. & U. l. 22. C. h. HUBER digress. L. 1. c. 11 sqq.* c) *l. 16. §. 2. ff. de R. N.* d) *l. 12. ff. de sponsal. l. 21. 22. de R. N. WILLENBERGH tract. de metu reuer. Gedani & Lips. 1712. 4.*

## §. VI.

Denique adesse debet C) *CONSENSUS EORUM*, in quorum potestate coeuntes vivunt a). Ergo ex principiis iuris Romani 1) *solus pater*  
con-



consentire debebāt, 2) emancipati liberi *sine* patris consensu nuptias recte contrahebant, excepta filia minore, sui iuris constituta b), 3) patre *furioso*, sine eius consensu validae erant nuptiae; sed eo *absente*, ut ignoraretur, ubi et an esset, triennium expectandum erat, nisi nuptiae essent eiusmodi, quarum conditionem certum esset, patrem non repudiaturum c). 4) Nepote vxorem dūcente et *filius* consentire debebat; neptis vero si nuberet, *avi* consensus sufficebat. 5) Curatoris consensu non opus erat d). Caeterum nota: 1) consensum patris *praecedere* debuisse; subsequuta enim ratihabitione, nuptiae demum ab eius momento iustae efficiebantur e), 2) hunc consensum et *tacite* interponi potuisse f), 3) eo *neglecto* nullas fuisse nuptias g), 4) patrem sine iusta causa dissentientem ad consensum cogi potuisse, l. 19. ff. de R. N.

a) l. 2. ff. de R. N. G. L. BOEHMERI *Diff. de necess. consensu parentum in nupt. liberorum in Elect. iur. civ. T. 1.* b) l. 25. ff. cod. l. 18. ff. 20. C. h. c) *pr. l. h. t. l. 25. C. h. l. 9. 10. 11. ff. de R. N.* d) l. 16. §. 1. l. 20. ff. cod. JENICHEN *de necess. consensus curat. in spons. minor. in Observ. ad LEYSER. Meditat. ad Pand. Vol. X.* e) l. 13. §. 6. ff. ad L. lul. de adult. l. 6. C. h. t. Nec aliter dicendum videtur, licet iure nouo ratihabitione ad initium retrotrahatur, l. vii. C. ad Sct. Maced. l. 25. C. de don. inter virum et vx. cf. JAC. GODOFR. ad l. 152. §. 2. de R. I. HOTTOM. *quae st. illustr. c. 9. dissent. HVBER ad Inst. h. t. n. 10.* f) l. 7. §. 1. ff. de spons. l. 5. C. h. t. g) l. 2. ff. de R. N. PAVLI *rec. sent. L. 5. Tit. 6. §. 5.*

### §. VII.

Dicendum nunc de iis, quae II) ex MERI ROMANI iuris principiis ad iustas nuptias requiruntur, quo pertinet A) STATUS CIVITATIS, i. e. ut coeuntes *cives* sint. Ergo nec 1) peregrinus gaudebat iure connubii, nisi ipsi specialiter concessum fuerit; nec 2) servus connubium inibat, sed *contubernium*.



*Pr. I. h. t. l. 14. §. 3. ff. de R. N. l. 3. C. de incest. nupt. vlp. fragm. Tit. 5. §. 4. PAVLI rec. sent. L. 2. c. 19. §. 6. CAJI instit. L. 1. Tit. 4. pr. ibique SCHVLTING. GVNDLINGIANA de contub. fervorum p. 2. n. 10. BRISON. de V. S. l. v. connubium et contubernium.*

## §. VIII.

Porro *B)* necesse est, ut ne PROHIBEANTUR nuptiae. Prohibentur autem inter certas personas aliae tamquam *I)* INCESTAE, nonnullae tamquam *II)* INDECORAE, dantur denique *III)* NOXIAE.

## §. IX.

*I)* Incestae nuptiae sunt, quae propter COGNATIONIS PROXIMITATEM interdicuntur *a)*. COGNATIO ipsa est necessitudo personarum ad eandem familiam pertinentium. Ea est vel CONSANGUINITAS vel ADFINITAS. Illa oritur ex generatione; quae quum vel vera, vel ficta sit, et illa vel ex generatione legitima vel illegitima, haec vero vel ex adoptione, vel ex baptisate sacro descendat, et ipsa consanguinitas quadruplex est: 1) mere naturalis, 2) mere civilis, 3) mixta et 4) spiritalis *b)*.

*a)* FABRI *Diss. vicissitud. iur. Rom. de nupt. incest. Lips. 1763.* NETTELBLADTI *schema doctrinae de grad. prohib. sec. ius div. Rom. et Can. in Obs. iuris eccl. Halae 1783. 8.* HEISLERI *Obs. sel. de incestu in Dessen jurist. Abhandl. 3te Samml. Halle 1783. 4.* *b)* l. 4. §. 2 ff. de grad. l. 26. C. h. t.

## §. X.

Haec autem proximitas ex gradibus intelligitur. GRADUS est quaevis generatio, seu distantia unius personae ab altera. LINEA est series graduum. Ea vel RECTA est vel COLLATERALIS seu OBLIQUA; illa iterum in ascendentalem et descendantalem, haec in aequalem et inaequalem subdividitur.

## §. XI.



## §. XI.

Regulae computationis graduum (de qua prolixè agit *l. 10. ff. de grad. adfin.*) hae sunt:

- I) Tot sunt gradus, quot sunt vel GENERATIONES vel DISTANTIAE personarum, usque ad eum, de cuius cognatione quaeritur. Vel ut alii: tot sunt gradus, quot supersunt PERSONAE, demta ea a qua computatio incipit.
- II) Iure CIVILI semper SINGULUS gradus numeratur; quae computatio proinde civilis dicitur.
- III) Iure CANONICO numerantur in linea COLLATERALI gradus UNUS tantum lateris, eiusque, si linea INAEQUALIS sit, LONGIORIS; et hanc computationem canonicam dicunt. De qua porro hae speciales regulae notandae: 1) quoto gradu UNAQUAQUE persona in linea AEQUALI distat a COMMUNI STIPITE, eodem distat INTER SE. 2) Quoto gradu REMOTIOR in linea INAEQUALI distat a communi stipite, eodem inter se distat.
- IV) Computatio canonica obtinet in doctrina de nuptiis incestis; in reliquis observatur computatio civilis.
- TRIERI *Diff. de comput. grad. conf. et adfin. Frf. 1736.* LÜDERI MENTENII *compendiaria theoria et praxis computat. grad. Lips. 1721.* BOEHMERUS *de comput. grad. adi. eius doctrinae de action. GYNDLINGIANA Part. 27.* TOB. RICHTERI *liber sing. de nupt. et comput. grad. Lips. 1744.* 8. ANT. CONTIVS *de grad. consangu. et adfin. in Eius Opp. Neap. 1725. f.* HOTTOM. *de nomin. et grad. consangu. et adfin. in Eius Vol. Diff.*

## §. XII.

Sunt autem prohibitae nuptiae:

- A) Propter consanguinitatem MERE NATURALEM et MIXTAM:  
1) in linea recta in infinitum; 2) in linea collateralis & aequali



gradu secundo a); β) in *inaequali* licitae sunt, modo absit RE-  
SPECTVS PARENTELAE. b)

B) Propter consanguinitatem MERE CIVILEM 1) cum filia adopti-  
va, nec non vidua tum *patris* cum *filiis* adoptivi, ne subsecuta  
quidem emancipatione, 2) cum sorore adoptiva, et patris ado-  
ptivi matre aut matertera, aut nepte ex filio, nisi adoptio sit  
emancipatione dissoluta. c)

C) Propter consanguinitatem SPIRITVALEM cum ea, quam ali-  
quis suscepit ex sacrosancto baptisinate. d)

a) §. 1. 2. 4. I. h. t. De nuptiis consobrinorum cf. Theophili *paraphr.*  
*h. t.* §. 4. CAJUS *instit. L. r. Tit. 4. §. 6.* ibique SCHVLTING. EV. OT-  
TONIS *Diff. de nupt. consobr. c. 4.* b) §. 3. 5. I. h. t. Fratris filiam ex  
SCTO Claudiano olim ducere licuit, non vero iure nouo. SVET. *Claud-*  
*c. 26.* ALEANDER ET OISEL. *ad CAJI instit. L. r. Tit. 4. n. 19.* NOODT  
*L. II. obs. 5. l. 17. C. h. HEISLERS Gutachten von der Ehe mit des Br-*  
*ders Tochter, in Dessen jur. Abh. 2te Samml. Halle 1783. 8.* c) §. 1.  
2. I. h. t. l. 14. pr. et §. 1. l. 17. pr. l. 55. §. 1. de R. N. d) l. 26. C. h. t.

### §. XIII.

Haec de consanguinitate. Sequitur ADFINITAS, quae est vel  
*vera*, vel *quasi*-talis.

### §. XIV.

A) VERA adfinitas est *necessitudo cum consanguineis eius perso-*  
*nae, cum qua aliquis concubuit*, siue concubitus legitimus siue illegi-  
timus fuerit. Ex quo intelligitur, ipsos masculi et foeminae consan-  
guineos *inter se* non esse adfines, adeoque nec inter compriuos  
aut collaterales mariti vxorisque ipsos, nec inter priuignum et nouer-  
cae matrem, aut inter vitricum et priuignae maritum adfinitatem in-  
tercedere. l. 4. §. 3. de grad. §. 8. *Inst. h. t.*

### §. XV.



## §. XV.

Adfinitatis, quum generatione haud nitatur, nulli proprie gradus sunt a); sed receptae sunt hae regulae: I) *Quoto gradu aliquis consanguineus est personae, quacum alter concubuit, eodem ipsius concumbentis adfinitis est.* II) *Quoto gradu nuptiae prohibentur inter consanguineos, eodem etiam interdiciuntur inter adfines.* Ergo nec 1) vitricus privignam, nec 2) focrus nurum, nec 3) privignus novercam, nec 4) frater fratris viduam, nec 5) filius patris concubinam ducere potest b),

a) l. 4. §. 5. de grad. b) §. 6. 7. Inst. h. t. l. 5. permitt. et ult. C. de incest. nupt. l. 4. C. h. t.

## §. XVI.

B) *QUASI-ADFINITAS* est quae vel ex *sponsaliis* vel ex *divortio* oritur. Unde 1) filius sponsam patris defuncti, et pater defuncti filii, sicut frater defuncti fratris sponsam; 2) Maritus filiam, quam uxor post divortium ab alio suscepit, ducere non potest; §. 9. I. h. t. l. 12. §. 1. 2. 3. ff. de R. N.

## §. XVII.

II) *INDECORAE* nuptiae sunt, quae propter *HONESTATEM* prohibentur a). Quales sunt 1) nuptiae senatoris eiusque liberorum nepotumve ex filiis natorum cum libertina aut libertino, qui quaeve vel ipsi vel eorum parentes artem ludicram faciunt aut fecerunt, 2) nuptiae ingenui cum ea, quae aut palam corpore quaestum aut lenocinium aut artem ludicram facit fecitue, aut iudicio publico damnata, aut in adulterio deprehensa, aut a lenone manumissa est; quod postea SCto etiam ad senatores extensum est. Quae tamen prohibitiones ex lege Iul. et Pap. Popp. descendentes post varias vicissitudines tandem a Iustiniano sublatae sunt b). 3) Nuptiae adulteri cum adultera, nec

non



non raptoris cum rapta c). 4) Nuptiae vitrici cum priuigni vidua aut nouerca mariti priuignae d).

- a) l. 42. pr. ff. de R. N. b) HEINECCIUS ad L. Pap. Popp. L. 2. c. 1. 2. c) L. vn. §. 1. C. de rapt. virg. Nov. 134. c. 12. d) l. 15. ff. de R. N. HEISLERS Abhandl. von der Ehe mit des Stiefsohns Wittwe und der Stieflochter Manne. EIVSDEM Untersuchung der Frage, ob die Ehe mit der Mutter der Stiefmutter erlaubt sey, in Dessen jurist. Abh. 2te Samml. GRIEBNERI Medit. probab. de incestis cum nouercae matre nuptiis, in Eius sel. Opusc. iuris priv. Sect. 1.

§. XVIII.

III) NOXIAE nuptiae sunt, quae propter UTILITATEM PUBLICAM illicitae sunt. Huc pertinet 1) Matrimonium inter Iudaeos et Christianos sub poena adulterii a); 2) tutoris eiusque filii nepotis cum pupilla, nisi aut α) rationibus redditis exactoque vicefimo quinto aetatis puellae et anno vili, aut β) impetrato principis rescripto, aut γ) ex desponsatione, destinatione, nominata in testamento conditione, vel iussu patris, cum decederet, dato, nuptiae contractae sint b); 3) magistratus prouincialis cum femina prouinciali propter rationem potentatus c); 4) clericorum omniumque castitatis voto obstrictorum a).

- a) l. 6. C. de Iudaeis. b) l. 36. 59. 60. ff. de R. N. l. 6. 7. C. de interd. matr. int. pup. WESTENBERG in diuo Marco p. 391. 394. D'ARNAUD variae coniect. L. 2. c. 17. MARKARDI interpr. iuris civ. L. II. c. 9. Erörterung der Frage: ob ein Vormund oder dessen Sohn seine Pflügbeholdne vor abgelegter Rechnung heyrathen dürfe? in den Beyträgen zur jur. Litteratur in den preuß. Staaten, 1. Samml. Berlin 1776. 8. PÜTTMANNI V. III. Progr. ad Orat. D. Marci de pupilla a tutore eiusue filio haud ducenda, Lipsi. 1783. c) l. 57. pr. l. 63. ff. de R. N. d) l. 44. pr. C. de episc. Nov. 6. c. 1. CALIXTUS de coniugio cleric. cura Henkii, Helmst. 1783. 4. KOERNER vom Celibat der Geistlichen, Leipzig 1784.

§. XIX.



## §. XIX.

Hæ sunt *inflæ* nuptiæ, quarum effectus vel *naturales* vel *civiles* sunt, v. g. potestas maritalis, ius acquirendi per operas vxoris, reliqui, de quibus commodius in Pandectis dici potest, cf. NETTELBLADT *Diss. de differ. matr. iur. nat. et civ.* §. 40. 41. in *Fascic. Diss. Halæ* 1783. 4.

## §. XX.

At INIVSTARVM nuptiarum effectus *generalis* hic est, vt ipso iure *nullæ* sint, adeoque omnes eius effectus, præcipue *civiles* cessent *a*), nisi coeuntes aut ætatis lubrico aut errore *inuincibili* decepti coierint, modo vel maiores facti vel errore comperto statim huiusmodi coniunctionem dirimant *b*). In *specie*, quod nuptias *incestas* attinet, hæ poenæ constitutæ erant: 1) exilium, 2) verberatio, si personæ *viles* essent, 3) confiscatio honorum et dotis, nisi liberi ex *priori* matrimonio *legitimo* adessent, ad quos tunc *statim* bona *patris* perueniebant, præstitis tamen ei alimentis necessariis *c*).

- a) §. 12. I. h. t. HEINECCIUS ad *L. Pap. Popp. L. 2. c. 6.* b) I. 4. C. de *incest. nupt.* HERTIUS de *matrimonio putatiuo*, in *Opusc. Part. I.* GOTTER. MASCOVIUS de *matr. putatiuo*, in *Opusc. T. 2. Lips. 1776.* c) *Nov. 12. c. 1. 2.* qua derogatum est *I. 6. C. de incestis nupt.* MERILE *L. 5. Obs. II.*

## DE LEGITIMATIONE.

## §. XXI.

LEGITIMATIO est *actus*, quo liberis *illegitimis* consentientibus iura *legitimorum* tribuuntur *a*). Nota: eam 1) nec niti aliqua *fictione* *b*), nec 2) sine consensu liberorum legitimandorum fieri debere *c*), 3) iure Romano liberos tantum *naturales* legitimari potuisse *d*).

C

a) JOR-



a) JORDENS *Diff. 2. de legitim.* in FELLEBERGII *iurisprud. antiq. T. 2.*  
 b) JO. JAC. PREHN *ob die Legitimation sich auf eine Erdichtung gründen?* *Roff. 1777. 4.* dissent. THOMAS. *ad Strauch. diff. Inst. No. 4. §. 3.*  
 HOEFFNER *Comm. ad Inst. h. t. c) l. II. ff. de his. qui sui vel al. iur.*  
*Nov. 89. c. 11. d) §. vlt. Inst. h. t. l. 10. C. de nat. liber. 1. H. BOEH-*  
*MERI Diff. de legitimat. ex damno coitu natorum, in Exerc. ad Pand.*  
*T. I. Sunt enim liberi illegitimi vel 1) naturales, vel 2) spurii, seu*  
*ulgo concepti, vel 3) adulterini, vel denique 4) incestuosi. §. 12. Inst.*  
*h. t. l. 23. ff. de statu hom. HOTTOMANNVS de spur. et legit. in GRAE-*  
*VII Thes. ant. T. 8. De voce spurii cf. MENAG. amoen. iur. c. 39.*

## §. XXII.

Ipsa legitimatio variis modis fiebat, I) PER OBLATIONEM CURIAE, II) PER SUBSEQUENS MATRIMONIUM, III) PER RESCRIPTUM PRINCIPIS, IV) PER TESTAMENTUM PATRIS A PRINCIPE CONFIRMATUM.

## §. XXIII.

I) Per OBLATIONEM CURIAE fiebat, cum pater  $\alpha$ ) *filium* naturalem curiae ita offerret, vt munera curialia valde odiosa aliquando susciperet; vel  $\beta$ ) *filiam* naturalem homini curiali matrimonio collocaret. Eius auctor est Theodosius iun. l. 3. C. de nat. lib. Nov. 89. C. 2. seqq. WUNDERLICHII *lib. de legit. per obl. cur. Ienae 1759.*

## §. XXIV.

II) Per SUBSEQUENS MATRIMONIUM fit, cum pater concubinam, ex qua liberos naturales procreavit, ducit. Auctor eius est Constantinus M. et a Iustiniano aliquando appellatur legitimatio per *instrumenta dotalia.*

l. 1. C. Th. de nat. lib. Nov. 89. c. 3. FR. BALDVINVS in *Const. M. HENNE*  
*Diff. de legitim. per subsequens matrim. Erf. 1754.* Ergo nepotes per  
 subsequens aut matrimonium non legitimantur, etiam si ipsi ex legitimis  
 nuptiis



nuptiis nati sint. Nec mouent, quae in contrarium profert SCHILTE-  
RVS ad Pand. Exerc. 3. thes. 13. §q. et HUBER Praelect. ad Pand. tit.  
de his qui sui vel al. iur. n. 10.

§. XXV.

Quae legitimatio vt locum haberet, requirebatur 1) vt cum  
concubina nuptiae licitae essent a), 2) vt instrumenta dotalia proba-  
tionis causa conficerentur, exceptis agricolis, militibus armatis et  
caligatis b) 3) vt iam tempore concubitus nullum matrimonii impedi-  
mentum adfuerit c), 4) vt ipsum matrimonium in isto modo contra-  
ctum esset, v. g. sine vi, dolo rel.

a) §. ult. l. h. t. b) §. ult. l. h. t. §. 2. Inst. de success. quae ab int. l. 10.  
C. de nat. lib. Nov. 74. c. 4. §. 2. 3. Nov. 89. c. 8. Sed et nuda instru-  
menta nuptialia suffecisse videntur. cf. NOODT Comm. ad Pand. tit. de  
his qui sui vel al. VINNIVS ad Inst. l. t. §. ult. dissent. GEBAYER ad Inst.  
Excurs. 4. §. 3. SCHVLTING. ad p̄oria cod. c) cf. PÉREZ Praelect.  
ad C. tit. de nat. lib. n. 12.

§. XXVI.

Effectus huius legitimationis est, vt eodem iure, ac legitime  
nati habeantur, vnde v. c. succedunt ab intestato pariter ac legitimi,  
et praeteriti testamentum impugnant, de qua re suo loco.

§. XXVII.

III) Vt RESCRIPTO PRINCIPIS procederet legitimatio, sup-  
ponebatur, 1) vt pater concubinam ducere non posset, 2) vt sobo-  
lem legitimam non haberet a). Auctor eius est Iustinianus. Effectus  
vero erat, 1) vt pater nancisceretur patriam potestatem, modo eam  
petiisset, 2) vt legitimati succederent ab intestato, de qua re suo loco.

a) Nov. 74. c. 2. pr. et Nov. 89. c. 9. PAVLI de legit. per. rescriptum princ.  
Gedami 1756.



## §. XXVIII.

IV) Ultima denique legitimacionis species, quae per TESTAMENTUM PATRIS fiebat, haec requirebat: 1) vt nullos liberos legitime natos haberet testator, 2) vt concubinam ducere non potuerit, 3) vt in testamento expresserit: *se velle, liberos naturales sibi esse legitimos successores*; 4) vt, mortuo patre, ipsi liberi testamentum ad confirmacionem offerrent principi; 5) vt sint heredes capaces. *Nov. 74. C. 2. §. 1. et Nov. 89. C. 10.*

## §. XXIX.

Praeter hos legitimandi modos nonnulli alium adhuc statuunt, quem *per nominationem filii in quasi-publico instrumento factam esse putant a*). Perperam, vt videtur, cum *Nov. 117. c. 2.* ad quam provocant, de *praesumptione* tantum nativitatis legitimae, non vero de legitimacione aliqua loquatur *b*).

*a*) v. c. PEREZ *Praelect. ad Cod. tit. de nat. liber. n. 6.* GYDELINVS *de iure nouiss. L. 1. c. 16.* *b*) JORDENS *Diff. 1. de legitim. c. 5. §. 1. faq.* Caeterum olim legitimatio etiam per *arrogationem vel adoptionem* fieri poterat, quae tamen iure nouo sublata est. *17. C. de nat. lib. Nov. 74. c. 3. et Nov. 89. c. 7.* Quod denique vsum huius tituli attinet, cf. THOMASIVS in *Diff. Vol. 3.*

## TIT. XI.

## DE ADOPTIONIBVS.

## §. I.

Vltimus acquirendi patriam potestatem modus est ADOPTIO, quae  
 α) in sensu GENERALI est *actus, quo in locum filii eligitur, qui natura talis non est*; β) in sensu SPECIALI est *actus, quo homo ALIENI iuris*



*ris* (i. e. filius familias) *auctoritate magistratus pro filio declaratur a)*. Ab ea distinguenda est ARROGATIO, quae est *adoptio hominis sivi iuris* (i. e. patris familias) *auctoritate principis facta*. Haec differt ab adoptione in specie dicta ratione *obiecti, modi, consensus* et *effectus*, tum quoad  $\alpha$ ) ipsum *arrogantem* vel *adoptantem*, cum  $\beta$ ) quoad *arrogati adoptatiue liberos b)*. Videamus igitur A) de adoptione in genere, B) de arrogatione, C) de adoptione in specie.

*a)* FELZII *Diff. de adoption. Argent. 1720.* SCHROEDERI *Diff. de adopt. iure civ. et moribus Germ. v. sit. Ienae 1705.* CHR. THOMASH *Diff. de usu pract. h. t.* in Eius *Diff. Vol. 3.* De causis adoptionum apud Romanos vid. GROSSERI *Diff. Lip. 1746.* *b)* l. 5. 40. *pr. ff. h. t.*

### §. II.

#### A) De adoptione in genere.

De ea nota axiomata I) Est actus, imitans naturam, II) Inventa est in solatium improlium, III) Non potest fieri in praeeudicium vel ipsius adoptati vel tertii cuiusdam. IV) Est modus adquirendi patriam potestatem.

### §. III.

I) *Adoptio est actus imitans naturam a)*. Ergo non possunt adoptare i) castrati, sed possunt *spadones*, nisi vel simul *castrati* vel in *perpetuum* generationis incapaces sint b), 2) minores maiores, cum pater filium adoptivum plena pubertate praecedere debeat c). Porro ex hac regula intelligitur 1) eum, qui uxorem quidem non habeat, sed tamen habere possit, recte adoptare d), 2) plures simul, nisi ex iusta causa, adoptari non posse e), 3) neminem in locum *fratris* adoptari f), nec 4) adoptionem *ad tempus* aut *sub conditione* aut *per procuratorem* fieri debere g).

C 3

 $\alpha$ ) §. 4.



a) §. 4. I. h. t. b) §. 9. Inst. l. 2. §. 1. l. 40. §. 2. ff. h. t. l. 39. §. 1. ff. de iure dot. l. 6. pr. §. 1. ff. de lib. et post. c) §. 4. Inst. l. 40. §. 1. ff. h. t. d) l. 30. ff. h. t. e) l. 15. §. 3. ff. h. t. f) l. 7. C. de hered. inst. CRELLII Diff. de adopt. in locum fratris non monstrosa, in Diss. Fasc. g) l. 24. §. 1. l. 25. 34. ff. h. t.

## §. IV.

II) *Inuenta est in solatium improlium.* Ergo non possunt adoptare 1) quibus iam sunt liberi naturales, 2) qui liberis naturalibus procreandis studere possunt, quales sunt minores 60 annis, nisi utroque casu iusta causa accedat a).

a) l. 17. §. 3. ff. h. t. l. 15. §. 2. eod.

## §. V.

III) *Non potest fieri α) in praeiudicium ipsius ADOPTATI.* Ergo 1) pauper divitem non recte adoptat, nisi ex iusta adfectione et praestita satisfactione a), nec 2) tutor curatorve pupillum minoremve nisi post rationes redditas, vel ex alia iusta causa, excepto priuigno b) nec 3) si adsint simul liberi naturales legitimi patris adoptivi, adoptatus minus percipere debet, quam dignum erit eum consequi c). Porro nec peragi debet β) *in praeiudicium TERTII.* Unde 1) si nepos adoptetur quasi ex filio natus, huius consensus accedere debet d), 2) si pater adoptans liberos naturales legitimos habeat, his spes, quam sibi obsequio pararunt, non debet diminui e).

a) l. 17. §. 4. 5. ff. h. t. b) l. 17. pr. §. 1. 2. 3. ff. eod. l. 32. §. 1. eod. CVAJACIVS Obs. L. 2. c. 38. c) l. 17. §. 3. eod. d) l. 6. ff. eod. e) c. l. 17. §. 3. ff. eod.

## §. VI.

IV) *Adoptio est modus acquirendi patriam potestatem.* Ergo proprie femina non potest adoptare, licet hoc ei permissum sit in solatium liberorum amissorum, l. 5. C. b. t.

## §. VII.



## §. VII.

## B) De arrogatione.

ARROGATIO requirit 1) principis rescriptum a), 2) ut arrogandus sui iuris sit et consentiat b); quem consensum cum olim feminae et impuberes in comitiis interponere non possent, nec arrogari poterant. At iure nouo 1) feminae rescripto principis d) et 2) impuberes ex constitutione ANTONINI PII arrogari possunt.

a) l. 2. pr. ff. l. 6. C. h. t. Iure antiquissimo populus in comitiis consentire debebat; deinde rescriptum principis sufficebat. HEINECC. *syntagm. antiq. h. t.* §. 5. sqq. CAJI *Inst. L. 1. Tit. 5 §. 1. et L. 2. Tit. 3. §. 3. VLP. fragmenta Tit. 8. §. 2. 3.* b) l. 1. §. 1. l. 5. ff. h. tit. c) l. 21. ff. eod. VLP. IANVS l. c.

## §. VIII.

Antoninus enim Pius permisit impuberum arrogationem, modo fieret 1) consensu propinquorum impuberis a), 2) auctoritate tutoris b), 3) causa a iudice cognita c), 4) satisfactione ab arrogante praestita, se α) mortuo *intra* pubertatem pupillo, bona eius illis, qui, si adoptio facta non fuisset, ad eius successionem venturi fuissent, restitutum; et β) si impuberem sine *iusta causa* exheredasset aut emancipasset, ei quartam bonorum partem relicturum, praeter bona, quae ad patrem adoptivum transtulisset, quorumque commodum ei postea adquisivisset d).

a) l. 2. C. h. t. b) l. ult. C. de praest. auctor. c) In quo versetur haec cognitio, tradit §. 3. *Inst. et l. 17. ff. h. t.* d) §. 3. *Inst. l. 18. 20. ff. l. 2. C. h. t.* quae quidem quarta omnium bonorum esse videtur tum propter verba *generalia* in §. 3. *Inst. et l. 2. C. h. t.* cum propter l. 8. §. 15. ff. de *inoffic. test.* Add. VOET. *ad Pand. h. t. n. 4.* Caeterum cf. MAJANSII *Diss. de arrog. impub. in Diss. Vol. 1. MADHNI Diss. de quarta D. Pii eiusque usu hodierno, Erf. ad Viadr. 1776.*

## §. IX.



## §. IX.

Effectus arrogationis speciales sunt, ut arrogator 1) sibi indistincte adquirat patriam potestatem, et quidem non solum in ipsum arrogatum, sed et in eius liberos, quos in potestate habuit, tanquam in nepotes a), 2) ut ipsi competat ususfructus in bonis arrogati *vivi*, 3) ut nomine arrogati propter eius debita conveniri posset, 4) ut succedat ab intestato arrogato, nisi is iterum emancipatus fuerit b).

a) §. 11. I. l. 40. pr. ff. h. t. b) §. 2 3. Inst. de adquis. per arrog.

## §. X.

## C) De adoptione in specie.

Adoptio proprie sic dicta iure novo a) fieri debet 1) actis interuentibus, 2) apud magistratum competentem, qui plenam habet legis actionem, 3) praesente et non contradicente adoptando et adoptante b). Hinc porro nota: 1) coram tabellione non recte adoptari c), 2) adoptionem pertinere ad iurisdictionem voluntariam, unde magistratus ipse apud semet ipsum adoptare adoptarive potest d), 3) adoptionem non iure factam, a principe confirmari posse e).

a) Iure enim antiquo per tres emancipationes duasque manumissiones in filiis, et per unam emancipationem in caeteris liberis fiebat. b) l. 1. ult. C. h. t. c) l. 4. C. cod. d) l. 3. 4. ff. cod. e) l. 38. ff. cod.

## §. XI.

Effectus adoptionis iure antiquo *semper* erat, ut adoptatus transiret in patriam adoptantis potestatem a), et uterque invicem ab intestato sibi succederet; quod tamen IUSTINIANUS ita mutavit, ut a) filio familias ab extraneo adoptato, patri adoptanti nulla in eum competere iura, aequae ac si adoptio facta non esset at b) eodem ab ascendente adoptato, maneret ius antiquum. Unde divisio adoptionis in PLENAM seu PERFECTAM ET MINUS PLENAM seu IMPERFECTAM.



PECTAM. Cuius quidem distinctionis hic usus est, I) Ratione PLENE adoptati, ut  $\alpha$ ) egrediatur e familia patris naturalis, transeatque in familiam patris adoptivi,  $\beta$ ) ut subiciatur eius patriae potestati,  $\gamma$ ) ut gaudeat iure succedendi tum *ex testamento*, tum ab *intestato*. At II) respectu MINUS PLENE adoptati, ut consequatur quidem iura *agnationis*, sed  $\alpha$ ) maneat in familia et potestate patris naturalis, adeoque  $\beta$ ) succedat tum patri *naturali*, cum simul *adoptivo*; quod uberius suo loco tradetur *b*).

*a*) Unde adoptio a *femina* vel in *testamento* facta non est *vera* adoptio, MAJANSIVS *de adopt. per testam.* in MEERMANNI Thes. Tom. II. *b*)

§. 2. I. l. 10. pr. §. 1. 2. 3. C. h. t.

## TIT. X.

### QVIBVS MODIS IVS PATRIAE POTESTATIS SOLVITVR.

#### §. I.

**P**atria potestas vel I) TOLLITUR, vel II) TRANSFERTUR, vel III) RECUPERATUR. Primum fit vel ex causa A) NATVRALI vel B) EX CIVILI. Haec est vel *voluntaria* vel *necessaria*, quae iterum contingit vel in *poenam* patris vel ex *alia* necessitate,

#### §. II.

I) TOLLITUR Patria potestas, et quidem:

A) Ex causa NATVRALI I) Morte FILII naturali II) Morte ipsius PATRIS naturali, modo nemo adsit in cuius potestatem liberi recidere possent. Unde si  $\alpha$ ) *solus pater* adfuerit vel *avus*, eius morte liberi nepotesve semper sui iuris fiunt;  $\beta$ ) *sin avus et pater* adfuerint, et ille quidem filium eiusque liberos simul in patria potestate habuerit, hi nec *avi* nec *patris* morte liberantur, cum ex adverso, ubi pater

D

tem-





tempore mortis avi vel iam emancipatus vel praemortuus fuerit, omnino sui iuris fiant.

*Pr. Inst. h. t. CAJ I instit. L. 1. Tit. 6. pr. VLP. fragm. Tit. 10. §. 2.*

§. III.

Effectus dissolutionis patriae potestatis morte patris contingentis est, 1) ut liberi fiant heredes *sui* patriamque hereditatem sibi *ipso iure* adquirant, de qua re suo loco, 2) ut, si liberi *impuberes* sint, effectum habeant aliqua patriae potestatis iura, v. g. tutoris datio.

§. IV.

B) Ex causa CIVILI eaque  $\alpha$ ) *voluntaria* tollitur EMANCIPATIONE, quae est *actus quo liberi volentes ab ipso patre expresse e sua potestate dimittuntur*  $\alpha$ ). Ea quidem duplex est: 1) ANASTASIANA, quae fit per *rescriptum principis*, modo  $\alpha$ ) illud iudici *competenti* insinuetur,  $\beta$ ) et ipsi liberi vel apud *eundem* vel *alium iudicem consentiant*  $\beta$ ), II) IUSTINIANEA, quae fit *sola* patris declaratione apud iudicem *competentem* cum consensu liberorum facta  $\gamma$ ).

$\alpha$ ) SCHELTINGA *Diff. de emancipatione*, in FELLENERGII *iurisprud. antiqu. Vol. 2.* HEIMBERGII *difficill. emanc. capita*, Ienae 1742. SENKENBERG *de iuribus egressus e patr. potest. Roman. et Germ.* Gießae 1743. KRAVSIU *Diff. de differ. emancip. Rom. et Germ.* Vitemb. 1755.  $\beta$ ) l. 5. C. de emanc. lib.  $\gamma$ ) §. 6. Inst. h. l. vit. C. de emancip. lib. nec obstat l. 36. da adopt. Caeterum iure antiquo emancipatio per *venditiones* et *manumissiones imaginarias* peragebatur, quos vero circuitus Iustinianus plane sustulit. c. l. vit. C. de emanc. cf. DATT *de emanc. vet.* CONRADI *Diff. II. de pacto fiducia*, Helmst. 1732.

§. V.

Effectus emancipationis est 1) *ratione patris*,  $\alpha$ ) ut retineat ius succedendi,  $\beta$ ) ut gaudeat dimidia usufructus parte in bonis emancipati,  $\gamma$ ) ut nanciscatur tutelam in *impuberes* emancipatos, de quibus omnibus suis locis. Reliqua P. P. iura cessant. 2) Quoad ipsos  
eman-



emancipatos, ut  $\alpha$ ) naturales liberi iure nouo retineant ius succeden-  
di  $a$ ),  $\beta$ ) adoptiui vero eo destituantur  $b$ ),  $\gamma$ ) vtrique habeant P. P.  
in liberos post emancipationem natos  $c$ ).

- $a$ ) l. 15. §. 1. C. delegit. hered. Nov. 118. c. 1. De iure antiquo cf. l. 11.  
C. eod. l. ult. C. de emanc. lib.  $b$ ) l. 10. pr. §. 1. 2. C. de emanc. DO-  
NELL. comm. iur. civ. L. 2. c. 27.  $c$ ) §. 9. Inst. h. t.

### §. VI.

Haec de causis civilibus iisque voluntariis. Sequuntur NECES-  
SARIAE et primo quidem eae, quibus IN POENAM patri adimitur  
potestas, quales sunt 1) capitis deminutio patris maxima et media  $a$ ),  
2) lenocinium cum filiabus exercitum  $b$ ), 3) infantis expositio  $c$ ) 4) se-  
cundae nuptiae incestae  $d$ ) 5) saevitiae  $e$ ). Ceterum his casibus om-  
nia patri adimuntur iura, quid, quod, dissoluta propter incestas nup-  
tias patria potestate, liberi statim accipiant bona paterna, Nov. 12. c. 2.  
vid. supra.

- $a$ ) §. 1. 3. 5. Inst. h. t. Cuius Inst. L. 1. Tit. 6. §. 1. 2. ibique SCHVLTING.  
 $b$ ) l. 6. C. de spectac.  $c$ ) l. 2. C. de inf. expos. Nov. 153. c. 1.  $d$ ) Nov.  
12. c. 2.  $e$ ) l. vn. ff. si a parent.

### §. VII.

Porro ALIAE necessariae, non tamen poenales, solvendi P. P. cau-  
sae sunt, 1) deportatio vel captivitas filii  $a$ ) 2) dignitas, quam filius  
est adeptus, a curia liberans, veluti patriciatus, episcopalis, consu-  
latus ordinarii vel codicillaris, praefecturae praetorio et vrbi, magi-  
sterii militum et patrocini filci. Quod si eiusmodi dignitate cesset  
P. P. liberis omnia familiae iura salva manet, sublatis tantum incom-  
modis ex P. P. ad eos redundantibus  $b$ ), 3) restitutio in integrum,  
quam pubes vel minor contra arrogationem impetravit, quo casu si-  
mul omnia familiae iura extinguuntur  $c$ ), 4) si pater aliquid ea quidem



conditione accepit, ut liberos emancipet *d*) §) si filius familias diu ut pater familias, tacente patre, res suas gessit *e*).

- a*) §. 1. 3. 5. *I. h. t.* *b*) §. 4. *I. h. t. l. ult. C. de consul. l. ult. C. de decur. Nov. 81. c. 1. 2. 3.* WOLFG. TRIERI *Diff. de dignitatibus, quae a patr. pot. liberant, Frf. 1737.* *c*) *l. 32. pr. l. 33. ff. de adopt. l. 3. §. 6. ff. de minor. d*) *l. 92. ff. de C. et D.* *e*) *l. 1. C. de pat. pot.*

### §. VIII.

II) TRANSFERTUR 1) morte avi, superstitute filio non emancipato 2) datione filii in adoptionem plenam 3) arrogatione ipsius patris. *Pr. I. h. t. l. 15. de adopt.*

### §. IX.

III) RECUPERATUR soluta P. P. 1) ingratitude liberorum emancipatorum *a*), 2) redadoptione *b*), 3) restituito patre vel ex speciali indulgentia principis vel iure postliminii *c*).

- a*) *l. vn. C. de lib. ingrat.* HENR. BARTHII *Diff. de poenis ingrat. liberorum apud Rom. Lipf. 1738.* *b*) *l. 12. l. 37. §. 1. l. 41. ff. de adopt.* *c*) §. 1 et 5. *I. h. t. l. 9. C. de sentent. pass.*

## COROLLARIA.

I. Iure quoque nouissimo bonorum possessio contra tabulas emancipatis praeteritis necessaria videtur.

II. Testamentum non inserta exheredandi causa est inofficiosum.

III. Interpretatio, qua causae exheredandi ad alias applicantur, est contra Iustiniani voluntatem.

IV. Remedium ex *L. ult. C. de edicto D. Hadriani* tollendo non solum hereditibus, sed et fideicommissariis vniuersalibus et legatariis tum propter testamentum, cum propter codicillos competit.



Leipzig, Diss., 1785 A-0



f  
56.









1785, 14.

SPECIMEN IVRIS CIVILIS  
AD TITVLOS INSTITVTIONVM  
DE  
PATRIA POTESTATE, NVPTIIS,  
LEGITIMATIONE, ADOPTIONIBVS, ET QVIBVS  
MODIS IVS PATRIAE POTESTATIS  
SOLVITVR

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
PRAESIDE

IO. FRIDERICO IVNGHANS  
PHILOSOPHIAE ET IVRIVM DOCTORE

A. D. APRILIS MDCCCCLXXXV  
H. L. Q. C.

DEFENDET  
CAROLVS FRIDERICVS ROSENZWEIG  
LIPSIENSIS.

LIPSIAE  
EX OFFICINA BVESCHELIA.

